

8.17.6

*Imp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Rufo.*

Qui filios vestros vel liberos homines pro pecunia quam vobis credebat pignoris titulo accepit, dissimulatione iuris se circumvenit, cum sit manifestum obligationem pignoris non consistere nisi in his, quae quis de bonis suis facit obnoxia.

*S. k. Mai. Heracliae AA. cons.*

[a. 293]

8.17.7

*Imp. Constantinus A. ad universos provinciales.*

Executores a quocumque iudice dati ad exigenda debita ea, quae civiliter poscuntur, servos aratores aut boves aratorios aut instrumentum aratorium pignoris causa de possessionibus abstrahunt, ex quo tributum illatio retardatur. 1 ¶ Si quis igitur intercessor aut creditor vel praefectus pagi vel vici vel decurio in hac re fuerit detectus, aestimando a iudice supplicio subiuetur.

*D. III non. Iun. Sirmi Constantino A. IIII et Licinio III cons.*

[a. 315]

8.17.8

*Imp. Honorius et Theodosius AA. Probo comiti sacrarum largitionum.*

Pignorum gratia aliquid quod ad culturam agri pertinet auferri non convenit.

*D. III id. Iun. Constante et Constantio cons.*

[a. 414]

8.17.9

*Imp. Iustinianus A Menae pp.*

Si quis in cuiuscumque contractus instrumento ea verba posuerit: 'fide et periculo rerum ad me pertinentium' vel 'per earum exactionem satisfieri tibi permitto' sufficere ea verba ad rerum tam earum quas in praesenti debitor habet quam futurarum hypothecam, nec ex prioribus sanctionibus minus habere speciali hypothecae memoria videri, cum sit iustum voluntates contrahentium magis quam verborum conceptionem inspicere.

1 ¶ Super qua generali hypotheca illud quoque ad conservandam contrahentium voluntatem sancimus, ut et, si 'res suas' supponere debitor dixerit, non adiecto 'tam praesentes quam futuras' ius tamen generalis hypothecae etiam ad futuras res producat.

*D. III id. Dec. Constantinopoli dn. Iustiniano A. pp. II cons.*

[a. 528]